Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2779

Quelle:
Copyright:

V. *fol.* 152. minio *Nunc dicendum eſt de vicijs et aliquibus virtutibus eis oppoſitis.* Initium: *Notandum, quod ut Magiſter docet 2° Sententiarum* &c. Ejusdem *Nicolai de Dünkelſpühl.* Vide *Indicem* et *edit. ſupracit.*

VI. *fol.* 254. fine titulo Tractatus ejusd. Autoris *de tribus Partibus Poenitentiae*, qui incipit: *Secundum Magiſtrum et doctores in 4° ſententiarum* &c. et habetur in *Indice* et in *edit. cit.* Ad calcem adhaeret ei *Tabula.*

DCCLXIII.

105 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 312. f. currente calamo ſcriptus, olimque, ut in fronte legitur, *ad Monaſterium ſancti Georij in Herczogenburga* pertinens exhibet ſequentia: I. Sermonem ἀδέσποτον *de circumciſione Servatoris*, qui incipit: *Maxima res hodierno die, Patres optimi, a me agenda eſt: et haud ſcio an fortaſſis omnium maxima, que noſtris in ceremonijs atque in tota religione ſit a majoribus noſtris conſtituta* &c. Et finit: *partem etiam magnitudini rei, cui nulla poteſt par oratio reperiri, aſſignetis.* Cum Sermonem hunc a dictionis puritate commendandum aliae *Orationes* excipiant, quae *Gaſparini Barzizii Bergomenſis* ſunt, nullus dubito et hunc *Gaſparino* adſcribendum eſſe, quamvis *Joſephum Alex. Furiettum* fugerit, cui Opera *Barziziorum Gaſparini* patris et *Guiniforti* filii *Romae* 1723. 4. debemus.

II. *fol.* 3. Sequitur Oratio *in laudem Franciſci Aſſiſiatis*, quae incipit: *Cum ſepe numero, eximii patres ac domini preſtantiſſimi, illos oratores* &c. et habetur in mox memorata *Gaſparini* edit. p. 45.

III. *fol.* 4. p. 2. Oratio ad *Alexandrum* V. P. M. recens electum habita a *Lauro Bragadeno* Patritio Veneto, itaque anno 1409. hoc initio: *Cum omnes, qui tuam adeunt ſanctitatem* &c. Extat in editis p. 15. ſed obſerva, Codicem noſtrum pro: *et nos ipſos fratres eius patrueles*, legere: *et nos ipſos nepotes ſuos.* Pluries porro *Gaſparinus* ſtilum ſuum aliis commodavit.

IV. *fol.* 5. p. 2. Oratio ad *Ferdinandum* dictum *Iuſtum* Regem *Siciliae*, cum ei an. 1412. *Aragoniae* corona accederet. Incipit: *Uellem hoc die, rex clariſſime, ea mihi vis ingenii ac dicendi copia eſſet* &c. In editis p. 27.

V. *fol.* 6. p. 2. Oratio ad *Regem* quendam panegyrica et gratiarum actoria, maxime ob promota oratoris literaria ſtudia. Initium eſt: *Si recte a noſtris maioribus Illuſtriſs. Rex et princeps ſereniſſime olim comparatum fuit* &c. Regis hujus origo a *Pipino* et *Carolo M.* deducitur, a quibus Orator ad Avum ejus *Petrum*, et Patrem *Zachetum* reges delabitur. Praeterea bis eum *Inſulae* dominari innuit. Eſt is itaque *Johannes* ſeu *Janus* II. *Cypri* rex, qui e *Francis* oriundus Avum habuit *Petrum* I. et Patrem *Zachetum*,